

VII. Usum ejus ut oculis ipsis Auditorum nostrorum exponeremus, pocula vitrea plura, vino, cerevisiâ, aquâ dulci, salsa, lacte, spiritu vini, argento vivo denique, plena supra Phæn. VI. mensam ordine posuimus, &, cùm machinulam nostram Hygrostathmicam in singula successivè demissemus, obser-vatum est, in lacte & cerevisia ipsam ad gradum primum us-que mersam constitisse; in aqua salsa infra hunc primum; in limpida sive dulci ad tertium, in vino ad quartum gradum descendisse; in spiritu vini fundum protinus petuisse, & econ-trâ argento vivo impositam ne supremam quidem ejus su-perficiem penetrâsse, sed stare jam erecto situ non amplius Valentem; in alterum latus pronum procidisse.

VIII. Non potuimus, quin hac occasione declarare-mus modum alium ponderandi liquores, quem celebris ille Peregrinator *Monconysius* antehac ad SERENISSIMUM ELECTOREM PAL. CAROLUM LUDOVICI CUM transcripserat; prout inter Epistolas Part. III. Itin. P. 3. fusiùs est legere. Res tota paucis huc redit: sit in prom-ptu vitrea phiala A, nostræ ferè similis, infernè ad B annello

